



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

3. Confirmatur eadem opinio negatiua auctoritate Theologorum, &  
Iurisconsultorum, & ipsorum Hæreticorum. Ex part. 10. tractat. 4. resol.  
etiam 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

terram; plantans in ea Principes tanquam arbores praelectas, & rigans illas gratia singulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiae, ut ipsius Ecclesiæ autoritate suffulti, velut germen electum per ipsum electionem, illum, qui frâna Romani teneret Imperij, germinarent. Hic est illud luminare minus in firmamento militantis Ecclesiæ: per lumine maius Christi Vicarium illustratum. Hic est, qui materialē gladium ad ipsius nutum excutit, & conuertit, ut eius praesidio Pastorū Pastor adiutor, oves sibi creditas spirituali gladio, protegendo communiat, temporali refrinet, & corrigit, ad vindictam malefatorum, laudem verò credentium, & honorum. Ita ipsiusmet Electores, ut obseruat Nicolaus Serarius in clive Societatis Iesu eruditissimus Auctor in *Historia Moguntina lib. 1. cap. 26.* in quo latè firmat Potestatem Septem Electorum Germaniæ eligendi Imperatorem dimanasse ex autoritate Summi Pontificis.

## RESOL. III.

Confirmatur eadem opinio negativa auctoritate Theologorum, & iurisconsultorum, & ipsorum Hæreticorum. Ex patr. 10. tract. 4. Ref. etiam 3.

§. 1. Vnde quia, ut optimè obseruat idem Serarius, hæc difficultas pertinet ad questionem facti, id magis pender è testimoniis asseveratione, quâ è rationum, & argumentorum subtilitate, licet itaque pro nostra sententia quam plures adduxerim Autheores, hic tamen etiam alios addam à me diligenter inscitos, & hi sunt Azotius *tom. 2. lib. 10. c. 3. §. 5.* Borellus de *præstantia Regis Catholicæ*, *cap. 38. num. 6.* & in addit. ad *Speculum Principum*, *Rubr. 14. §. Veniamuver. Archiepiscopus Moguntinus*. Martha de *Iuris*, *par. 4. cent. 2. cap. 197. num. 4.* Masquardus de *Susannis*, *tract. de Calabria. Sacerdotum, p. 11. cap. 2. num. 20.* Franciscus Vargas in *responsu Pium IV. Fundam. 10. circa suam Fulvium Pacianum, de probat. lib. 11. cap. 15. num. 39.* Gastaldus, *tract. de Imperatore, quæst. 8. num. 14. cum seq. Ioannes Capistranus de Papa Authoritate in p. 2. pars principali, num. 11. 8.* Alphonus Albarrez in *Tusso Chrystiane Religionis*, *cap. 16. num. 15. & cap. 56. num. 1.* Lancellotus in *templo omnium Indorum*, *lib. 1. cap. 1. quæst. 2. num. 9.* Tholosanus, *de Republica*, *lib. 6. cap. 13. & 15.* Befelius in *Corollariorum*, post tract. de *Donatione Constantini*, *Corollar. 6. & 9.* Polydorus Virgilus *lib. 4. c. 7. alias 10.* Volaterranus in *Ambropologie*, *lib. 12.* Alciatus in *comment. leg. bona Cimta*, *ff. de verb. significat.* Albertus Crantzius *lib. 4 Saxonie cap. 25. & lib. 8. num. 21.* Ferdinandus Waizeneggerus *tract. de Iure Publico, differt. de Imperatore, & Imperio*, *c. 4. num. 21.* Bulengetus de *Imperatore Romano*, *lib. 3. Thuanus in princip. lib. 2. Histor. Gail. lib. 1. obseruat. c. 1. n. 2.* Michael Coccinus de *translat. Imperij à Greco ad Germanos*. Joannes Balæus de *Vitis*, & *Gestis Pontificum*; Michael Schiferner in *dissert. de origine & potestate Electorum Thebæi* 4. Bordonus in *Sacra Tribunalia*, *f. 5. q. 8. n. 34.* Et tandem omnia superiora dicta latè, & solidi firmans tres non solum dignitate, sed etiam scientia Eminentissimi Cardinales Iacobacius de Conciliis *lib. 10. art. 8. n. 12.* Bellarminus de *Translatione Imperij*, *lib. 3. c. 3. & 4.* & Baronius annal. *tom. 10. anno 996. n. 41. cum seqq. omnino* videndi.

2. Sed quia contra nostram sententiam plures haereticos suprà adduximus, in eius fauorem etiam plures haereticos adducere non iniucundum exiftimauit, & hi sunt Ioannes Catton, *lib. 3. Chron. Ioan. Cuspianus in Othono III. Magdeburgi*: Centuriatores contra suum Concentriatorem Illyricum, *Cent. 10. c. 10. Tom. I X.*

quiibus adde Sebas. Munsterum *lib. 3. Cosmographia*, qui cùm reuulisset, quantas & quâ indignas à Romanis iniurias petulisset, è contrario autem quantum benevolentiam, quamque præsens auxilium ab Othono Germano accepisset Pontifex, pergit in verba hæc: Porro Gregorius ut Caesaris Germanique gratificaretur, & accrimam de accepta à Romanis iniuria vindictam recipet: nouam fecit vna cum Cæsare de eligendo à Germanis Proceribus Rœge electionem, formulamque, ac legem creandi Imperatoris, ut hæc electio perpetuo Germanis maneret; & ut è suo corpore Cæarem designarent. Quæ ad hoc usque nostrum aevum permanet. Debet autem virtute electionis mox ab electione vocari Cæsar, & Rex Romanorum: & accepta Corona à Romano Pontifice, tum habet titulum Imperatoris Augusti. Et priusquam hæc ordinatio publicaretur, Otho, vocatis Principibus, & Proceribus Germanicæ nationis, indicauit illis, quanta confusione electus fuisset Orbis Monarcha, & quâ multi essent, qui conarentur propinquos suos ad summum illud promouere fastigium. Quæ res ad summum Christianæ Republicæ discrimen, posset aliquando fomentum ministrare. Et post nonnulla, refert idem Auctor ordinationem incidisse in annum humanæ Redempcionis 1001. quæ Gallis plurimum dispuicit, tamque graui animo pertulerunt. Verum, quia Regium Stemma Caroli Magni defecerat in Ludouico Lotharij filio, regia dignitate in Hugonico Capetum translata, contendere cum Germanis opera pretium non fuit. Hæc ille. Et tandem Petrus Bertius in *Descriptione Germaniæ*. Othonem, ait, ultimus, quin intelligeret Romanos Crescentius Consule rursum ad factare Imperij titulum; coacto exercitu Roman caput, impetravitque à Gregorio Pontifice, ut ius eligendi Romanum Imperium perpetuò apud Germanos permaneret. Imperavit autem hac lege, ut electus primum vocaretur Cæsar, & Rex Romanorum, postea verò accepta à Pontifice corona, haberet titulum Imperatoris Augusti. Electores constituti sunt Septem: è quibus Archiepiscopi Tres, quos Imperij Archicancellarios vocare placuit, Moguntinus Germaniæ: Coloniensis Italia: Treuiriensis Galliæ: Quatuor Principes, quos vocari Sæculares Dux Saxonie, Enifer: Marchio Brandenburgensis Camerarius: Comes Palatinus Rheni, Dapifer: Rex Bohemia, Pincerna. Ab his, post excellum Othonis, primus lectus est in Imperatorem Henricus cognomento Sanctus.

3. Itaque nostra sententia firmata remanet non solum auctoritate Historicorum, Theologorum, Canonistarum, & Iurisconsultorum, sed etiam ipsorum Hæreticorum, sed confirmatur validissima argumentatione, nam nisi ab uno, quin omnes, & præ omnibus auctoritatē habueret, inris hoc eligendi Imperatorem emanasset, agrius ferrent aliæ Christianorum Nationes, se neque rogatis, neque volentibus, à paucis Germanorum Princibus eum eligi, qui eò ipso, Imperator est, & nominis ipsius Maiestate, & honoris excellētia primum semper locum tenet, siue per scipsum ille, siue per Legatos suos adit: Regelque omnes ubique, quantumvis Christianissimos, & potentissimos, antecellat.

4. Concludendum est igitur, potestatem eligendi Imperatorem, Septem Germaniæ Electoribus à Summo Pontifice Gregorio V. largitam fuisse, Imperatore, Imperioque toro cupiente, approbante, & recipiente. Ex quo sequitur necessarium, numerum Electorum, nec minui, nec augeri posse, in se, & in inconsulto Summo Pontifice: nā ut optimè obseruat Cardinalis Baronius, ubi supra §. A quonā autem, &c.

Sup. hoc in  
fra in tr. 12.  
ex Ref. vnic.  
§. Verum.  
vers. Quo-  
nam.

enius fuit de septem Electoribus legem condere, non alterius quam ipsius esse potest aliquo modo mutatio, vel moderatio. Ergo cum Summus Pontifex ut probatum est, septem Electores instituit; ipso inscio, ab aliis nec minui nec augeri posse, dicendum erit,

## RESOL. IV.

Respondetur ad argumenta, que pro affirmativa sententia adduci possunt. Ex part. 10. tract. 4. Ref. etiam 4.

**S. I.** Est modò respondere ad aliqua argumen-  
ta, que in contrarium Aduersarij opponunt.  
Et ad cap. Venerabilem de Elect. adductum contrà nos à Boxdorffo, & alii ubi supra, in quo habetur, Po-  
testatem septem virorum eligendi Imperatorem, or-  
tum habuisse à consuetudine: respondeo, & contrà  
ipso adduco ex eorum Castris, Commilitonem, ne-  
pe luctum Sinolt, in Collegio publico de Stanre Romane,  
diff. 2. Thesis 6. lit. B, vbi assicit, Textum dicti cap.  
Venerabilem, non esse accipiendum de consuetudine  
legem antecedentem, cum possit etiam de ea, que le-  
gem est subsecuta, eamque approbavit, intelligi: ea  
leg. 3. ff. de legibus. Quod aperte patet in dicto Tex-  
tu: nam ibi Pontifex non dixit tantum de consuetu-  
dine; sed de Iure, & consuetudine. Quod confirma-  
tur ex Clementina, Romani Pontificis. Ergo &c.

**S. II.** Secundo obseruant aduersarij, olim fuisse  
Electores Imperij, Archiepiscopum Salburgensem,  
Ducem Austriae, Ducem Bavariae, Ducem Saxonie,  
Ducem Brabantie, qui & Louania: sed quid inde;  
debetent nāque probare hos fuisse mutatos ab aliis,  
quā à Pontifice. Verū nos fatemur supradictos  
fuisse olim Electores, sed postea auctoritate Inno-  
centij IV. vel Alexandri IV. fuisse mutatos; & eo-  
rum loco subrogatos Archiepiscopum Treverensem,  
Comitem Palatinum Rheni, Marchionem Brande-  
burghensem, & Regem Bohemiae; quæ omnia notat  
Baronijs tom. 10. ann. 996.

**S. III.** Tertiò, multa ex Historicis opponunt Aduer-  
sarij: & Primò Nauclerum vol. 1. Generat. 35. dicen-  
tem: Hoc in tempore Electores Imperij instituti le-  
guntur; de quo aliqui scribunt, quod Otho III.,  
cùn hæredes ex se descendentes non haberet, consti-  
tuit ex concilio Principum Germaniae, ut Imperato-  
re mortuo, in oppido Francofurt, perpetuè fieret  
electio, & Electores constituit septem. Secundò obii-  
ciunt xantium lib. 3. metropolis, cap. 40. vbi sic ait:  
Ita perit sine prole Otho III. prævaluitque electio;  
quam idem Imperator cum Gregorio V. propinquo  
suo fecit; quæque durat in hodiernum diem, ut non  
legitima successione queratur Imperator, quomodo  
à memoria Magni Caroli videbatur, sed electio se-  
ptem primorum Principum assimilatur. Tertiò obii-  
ciunt scriptores alios Germanos, afferentes id esse fa-  
ctum ex communi omnium Germanorum Optimatum  
consensu, & id tradit etiam Nicolaus Cusanus,  
lib. 3. cap. 4. de concordantia Catholica, vbi dicit, Elec-  
tores constitutus esse communi consensu totius Imperij.  
Concurrit inquit, ad hoc consensus ipsius  
Gregorij V. tanquam viuis Pontificis Romani, qui  
iuxta gradum suum in consentiendo, in communem  
Imperatorem inter se habet recte, sicut in Conclu-  
sionibus vniuersalibus concurrit in primo gradu authori-  
tas ipsius per consensum cum aliis omnibus ipsum  
Concilium celebrantibus. Vigor nihilominus definiti-  
onis non vel a ipso primo omnium Pontifice, sed ex  
communi omnium, & ipsius, & aliorum consensu  
dependet. Et infra: Ita quod puto in veritate, con-  
sensum Romani Pontificis à Principio interuenisse,

dum isti Electores constiuentur. Vnde ipsi commu-  
ni fungentes legatione omnium, qui Imperio sub-  
sunt, etiam totius Sacerdotij, & Romani Pontificis,  
eligunt.

**4.** Quartò, quia B. Antoninus, Martinus Polo-  
nus, Leopoldus bambergensis, de Constitutione  
Electorum loquuntur, sed eam Summo Pontifici  
non tribunt, sed a hac omnia obiecta respondeo.  
ea, nihil concludere, quia Autores nominati non  
negant factum esse decretum de Septem Electoribus  
Imperatoris auctoritate Pontificia; sed significant,  
id Pontificem Romanum fecisse consensu Othonis  
III. atque aliorum Principum Germanorum: nam  
verisimile est, id petuisse Othonem III. Imperato-  
rem, & Germanorum Primates, & sanctiōnem à  
Pontifice constituta laudata, & comprobata; vt  
obseruat Serarius in Historia Moguntina lib. 1. cap. 26  
& alij.

**5.** Quintò, non obstat, quod supradictis vi-  
deantur aduersari monumenta Ecclesiæ Aquilegi-  
ensis, in quibus memorie proditum scribitur, sanctiō-  
nem de septem viris Electoribus ab Henrico II. Im-  
peratore, & Siluestro II. Papa factam esse; quam  
traditione lectorant Marsilius de Menandino; Pau-  
dian. de Translat. Imper. cap. 11. Nicolaus Cusanus  
lib. 3. de concord. Cathol. cap. 3. & seq. Matthæus Pul-  
mannus in Chron. anno 1004. Donatus Bossius Chron.  
anno 1004. nam contradictionem hanc Ecclesiæ Aquile-  
genensis, Nauclerus in Chronol. vol. 20. gener. 34. in  
hunc modum conciliare molitur: Quod autem à  
quibusdam scribitur, sanctiōnem hanc institutam  
fuisse anno salutis nostræ millefimo, & secundo;  
hoc ita intelligendum puto, quod eo anno virtute  
istius sanctiōnis, prima facta fuerit per Principes  
designatos electio in persona Henrici Bauari, tunc  
enim electa est mortibus venturi approbari; & sic  
sub Silvestro II. qui successit Gregorio. Et hoc salu-  
tari potest, quod ex monumentis Aquilegiensis Ec-  
clesiæ traditum inuenitur, Sanctiōnem de Imperato-  
re à Germanis deligendo, Silvestri temporibus fa-  
ctam fuisse. Vnde eti Gregorius' Sanctiōnem insti-  
tuerit; ille tamen Silvester electionem primam iuxta  
Sanctiōnem factam approbavit. Haec Naucle-  
rus. Eamque conciliacionem probat Bellarminus,  
lib. 3. de Translat. Imper. cap. 3. & Geuoldus de S. Im-  
per. Septem vir. cap. 6. num. 75.

**6.** Et tandem non obstar, quod Collegij Electro-  
ralis institutionem Othoni I. Brunfuglio Impera-  
tori adscribunt, Reinhardus Honig, in politica part.  
1. c. 30. n. 30. & alij, ex decreto in Comitis Franco-  
fordianis ea de re facto, apud Goldastum tom. 3. con-  
stit. Imperial. anno 1209. vel vt opinatur Christophe-  
rus Besold. in diff. de Regia Successione diff. 3. Thesis 6.  
Carolo IV. qui Besoldus ex Beuthero Animad. Histor.  
c. 13. docet, etiam ab eodem Carolo numerum Elec-  
torum auctum, & Regem Bohemiae additum. Non  
inquam hæc obstant, quia cùn hi Scriptores inter se  
discrederint; non sunt attendendi; & illos refellunt  
Crapzouius in leg. Regiam Germanorum c. 10. f. 5. n.  
17. & alij. Addo, etiam si demus aliquos dissentire à  
nostra sententia, quid ad rem negari non potest no-  
stram sententiam esse communem vt post hæc scripta  
visus late probat Bzouius de Romano Pontifice c. 4.  
Nec vnguā seculum aliquod ita sterile fuit, quod ho-  
mines dissentendi studio flagantes non protulerint,  
nec in vnaquaque re credenda omniū consensum re-  
quirimus; nec propterē is mentitur, qui mel dulce el-  
se dicit, licet agrotis aliter videatur. Manet igitur fir-  
ma nostra conclusio, Electores, tempore Othonis III.  
anno 996. fuisse à Greg. V. constitutos, ipso Othone,  
vt sèp. diximus, cupiente, approbante, & recipiente.

TRACTATUS